



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Capvt LXXXVIII. S. Odolphi Stavriense Monasterium, in Frisia Occidentali.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**

tionem *Fraunstam & Ering*, quæ olim ad Ecclesiam Bambergensem spectabant. Vnde superioribus annis, tempore Vvillielmi & Ludouici, Ducum Bauariæ, Episcopi Bambergenses prætendebant nescio quæ iura ad istud monasterium, volebantque Prælatos iura temporalia & Episcopis in feudum recipere annuamque pensionem soluere. Sed renuebant Princepes, & sub sua ditione ac protectione sicut ipsorum antecessores, retinuerunt. Ita Huedius.

## CAPVT LXXXVIII.

## S. ODOLPHI STAVRIENSE

*Monasterium, in Frisia Occidentali.*

*Vita S. Odulphi existat apud Surium*

*Ta. 3. Iunij 12.*

*An. 830.*

**C**oenobium istud institutionem suam debet B. Odulpho presbytero, Orscoti in Campania Brabantica nato; qui cum esset Canonicus Ultraiectensis, in S. Saluatoris basilica, à B. Frederico, eius vrbs Episcopo, apud Frisios prædicante, circa annum Christi octingentesimum tricesimum, in Frisiam, ad hæresim Arianam, quâ tunc ea provincia laborabat, extinguendam, & Catholicam religionem propagandam, est euocatus. Itaque B. Fredericus ad suos rediens Stauriensem Odulpho Ecclesiam gubernandam commisit, qui ea in vrbe, tum celeberrimo Frisiam emporio, in signe clericorum, seu Canonico-rum coenobium instituit. Canonico-rum, in-  
quam,

quam, cœnobium, non regularium propriè, ut hodie loquimur, sed liberè, & sine professione, intra claustrum tamen, in communi, secundum regulam, sub Episcopi obedientia viventium, Tale enim constat ab ipsis initijs fuisse Ultraiectinum sancti Saluatoris monasterium, in quo s. Odolphus est institutus. Hæc ferè Molanus in *Natalibus Sanctorum Belgij*, & in *lib. de Canonicis*.

A motis però ob liberiores vitam Canonicis, Andreas Cœquèsis. X XV. Episcopus Ultraiectinus, Benedictinum sexus utriusq; cœtum Ostbrucano cœnobio tum florentissimo euocatum, substituit.

Qua de re Ioannes Becanus in manuscriptis Ultraiectinæ Ecclesiæ Chronicis: Præsul, inquit, Andreas amouit duodecim presbyteros Staurienses propter eorum demeritum, adducens ibidem ab Oestbroeck utriusque sexus conuentuale collegium. Videturq; Becanus id referre ad annum Christi millesimum centesimum tricesimum secundum, aut quartum. Ioannes tamen Leidanus in manuscripto suo *Hollandiæ Chronico* signanter ait, Andream Præsulem paucis diebus ante mortem suam id fecisse. Obijt verò Andreas anno 1138.

Fuit autem hoc cœnobium primò situm extra muros vrbs Stauriensis ad Occidentem quod hostili incur su vastatum, inde in urbem à Frederico Ultraiectensi Episcopo anno 1415. sine, ut alij volunt, anno 1419. est translatus.

Quidam  
notant id  
factum  
an. 1132.  
in festo Pē-  
tecostes.

An. 1138.

CAP.